



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Non illico omnia imitanda esse, qu[a]e de Sanctis, in impiorum
terrorem recensentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

CAPVT XL.

Prouocationes ad diuinum tribunal factas, non facile imitandas esse.

Dolixè demonſtraui, multos pios, ſanctos, innocentes homines, à tyrannis, iniuſtè accuſatos, damnatos, necatos, ad diuinum tribunal, iudices ſuos, non ſine prodigioſo euentu miraculoque, euocauiffe. Demonſtraui hæc, vt Deum pauperum defenſorem, violentorum iudicem, Sanctorum exaudito- rem eſſe oſtenderem, atque vt, ex his iuſtiſſimis Dei iudicijs, metum frænūmque inijcerem ijs, qui, quidquid poſſunt, audent. Haud ambigo, nonnullos fore, qui documenta à me aliò deſtinata, aliò deriuent, & ſi tot exempla legerint Sanctorum, ea, ad imitationem propoſita, eſſe arbitrentur. Itaque cum plauſu iſta excipient, & ſibi ſummopere gratulabuntur, de reperto confirmatōque modo ac ratione ſe vindicandi. Quare iam nulla vetula rixabitur; nullus ciuis litigabit; nullus vel ſeruus, vel puer vapulabit, quin illico ad diuinum tribunal appellet. *Magna otia cali*, ſi illico fieri debet, quod petunt impatientes.

Meritò iſtis dicitur: *Nescitis, quid petatis: & illud: Petitis, & non accipitis: eò quòd male petatis: vt in concupiſcentijs veſtris inſu-* I.
II.
Matt. 20. 22.
Iac. 4. 3.
matīs. Nam in primis, non omnia, quæ diuino inſtinctu Sancti fecerunt, ſunt imitanda. Deinde, quis ſibi ſanctitatem polliceatur? quis non falli poteſt, cum ſe ſe iudicat innocentem? *Nemo, in ſua cauſſa, bonus index.* Amor ſui vnumquemque excæcat, vt non videat rectum quod eſt; rectèque ſe putet feciſſe, quando maximè deflexit ab æquitate. Quin & ira iudicium corrumpit, vt iniuriam maximam, iuſtam eſſe vindictam arbitretur. *Turbatus eſt à furo-* Pſal. 6. 7.
re oculus meus, ait ille. In Hebræo, pro *turbatus*, eſt, *caligauit.* Vbi quidem ſenſus eſt, oculus meus, propter furorem & indignationem meam, contra turpitudinem peccati, à fletu nimio, quaſi corroſus turbatus eſt, & caligauit: poteſt tamen etiam quiuis furioſus id dicere. Non finit enim furor hominem cernere verum. *Nam* S. Chryſ. ho-
mil. 62. ad
pop.
non poteſt iratus in ſeipſo manere, ait D. Chryſoſtomus, *ſicut in flu-*
uius ſurgens mare. Ita commiſcentur omnia, & tanquam fons purus im-